DE RHACHITIDE DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM AD MEDICINAE...

Giacinto Biave

DE RHACHITIDE

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD MEDICINAE LAUREAM

RITE OBTINENDAM

PUBLICE HABUIT

Biave Hyacinthus

SERRAVALLENSIS



PATAVII

TYPIS PENADA

MDCCCXLVI

de Rhachitide.

Rhachitis (a graeco ῥάχις, spina dorsi, Italis rachitide), est morbus reproductionis qualitative vitiatae cum abnormi atque essentiali musculorum, ligamentorum, cartilaginum, atque ossium mollitie, quae dependet vel a minori copia calcis, vel a majori glutinis. Morbus iste infantibus proprius frequentissime inter sextum aetatis mensem et annum tertium occurrit; quin tamen exempla desint rhachitidis mox post partum ortae; adultis morbus nominatus rarissime infaustus. Fragilitas et mollities ossium, quam saepius est occasio observandi in adultis, originem plerumque ducit ex aliis momentis causalibus, quam quae morbum nostrum producunt. Per se jam liquet, rhachitidem ad multas turbas functionum ossium, cartilaginum, ligamentorum atque musculorum conferre, quoniam illo tempore, quo hae partes magis magisque evolvuntur, oritur atque decurrit.

SYMPTOMATOLOGIA.

Ad phaenomena praestantiora, quibus rhachitis sese enuntiat, spectant enumeranda sequentia: in-

6-2

ſantes hoc morbo laborantes habitu proprio. In dicto rhachitico notantur: cutis delicatula, caput magnum cum fronte prominente, ſontanellis et suturis apertis; ſacies parva, tumidula, oculi magni, splendore carentes, annulo subcaeruleo vel lurido circumdantur palpebrae oedematosae, albuginea ex caeruleo albicans, pupilla dilatata, genae pallidae, dentitio retardata, cum molestiis atque doloribus saepius juncta, dentes ipsi parvi, flavescentes vel nigricantes facile vacillantes animadvertuntur; anima ſoetens, collum tenue, marcidum, quo fit ut caput ipsum nonnisi difficulter erectum servetur et facillime vel in unum vel in alterum latus, antrorsum vel retrorsum inclinet, pectus in regione sterni elevatum; in lateribus e contra compressum atque angustatum reperitur; oritur inde dyspnoea et alia respirationis vitia. Adpetitus nunc imminutus, nunc adauctus, imo non raro voracitas maxima cum digestione laesa, marcore atque musculorum imbecillitate, abdomen generosum et valde extensum, praecipue in hypochondriis dextero atque sinistro, quod non a repletione, sed potius ab emphraxi hepatis atque lienis repetendum. Excretiones alvinae irregulares evadunt, modo alvus stiptica, modo diarrhoica, et non raro in primis viis aciditas. Urinae turbidae et mucosae, saporis acidi cum sedimento tenaci caseoso, nonnunquam ammonia redolescentes. Cutis laxa, tumidula, in transpirationem prona, quae sub motu etiam moderatione ad sudorem augetur, dein sub somno nocte prae-

primis sudores partiales contingere consuescunt. His omnibus accedunt variae mutationes morbosae, quibus ossa subjiciuntur, nostrae maxime attentionis dignae. Ossa hoc morbo rebelli graviter adficiuntur, qui non tantum habitum eorum externum et figuram, sed internam quoque texturam a norma seducit, nutritionem retinet, abnormen mollitiem atque incurvationem producit. Ad epiphysim intumescunt ossa, crassiora fiunt et molliora, hancque mutationem primo ac intensissime patiuntur epiphyses ossium, extremitatum superiorum ac inferiorum; ulterius vero morbo progrediente, in compassionem trahuntur quoque articulationes reliquorum ossium cylindricorum. Subsequo autem tempore praeter epiphyses corpus quoque illorum patitur, extenuatur, tenuis redditur, variaque ratione a normali directione deflectit, ita ut modo in uno modo in altero latere incurvetur, retorquentur claviculae; costae redduntur nodosae variisque modis incurvatae; columna vertebralis quoque in compassionem tracta varias prasefert flexiones, nunc lordosim, nunc kyphosim, nunc scoliosim. Ne ossa quidem innominata tuta sunt a labe; quapropter saepe saepius videtur pelvis angustata, vitium praecipue infaustum foeminis dum partum difficiliorem, vel impossibilem reddit. Ossa inspecta gelatinosa adparent, nec non porosa, pressioni facile cedentia.

Quo magis rhachitide ossium cartilaginum, ligamentorum atque musculorum nutritio retinetur, aut a norma deflectit, eo minus infantes hoc mor-

bo correpti corpus suum sustentare et erectos sese tenere valent, eoque minus tutus ac normalis eorum gressus. Quod si infans, morbo exordiente, nondum incedat, talis facultas nonnisi morbo devicto conceditur, quod plerumque quinto, sexto vel septimo aetatis anno contingit. Infans autem, qui ante morbum bene stationem atque gressum exercebat rhachitide inchoante, idem amittit facultatem; quod perdurat usquedum morbus vel vi medicatrice ipsius naturae, vel artis adjuvatione devictus redeunti sanitati locum concesserit. Quoad animum plerumque vix patitur; etiamsi exempla non desint infantum hoc morbo adfectorum qui stupidi et cretini evadebant.

Sectio cadaverica musculos magnopere emaciatos, marcidos, cartilagines atque ligamenta laxa; ossa vasis copiosis pertecta mollitie morbosa laborantia, medullam eorum fluidam, hepatis, lienis, pancreatis hypertrophiam glandulas lymphaticas mesenterii praecipue tumefactas; serum hinc inde in cavitatibus effusum ostendere solet.

AETIOLOGIA ET NOSOGENIA.

Ad genesim istius morbi, uti in ceteris, momenta duplicis generis concurrunt, praedisponentia videlicet et excitantia. Inter praedisponentia, si mala digestio, si parentes fuerint labe praesertim scrofulosa adfecti, temperamentum phlegmaticum habitusque corporis pastosus et laxus enumerantur.

Inter momenta autem excitantia omnes illae potentiae recensendae veniunt, organa digerentia

praesertim perturbantes. Huc recensetur: aer humidus simulque frigidus, miasmaticus, unde rhachitidis in Anglia, atque Hollandia, frequentia. Lac maternum vel et nutricis nimis pingue vel acidum, corruptum; cibi farinacei vario modo parati et pinguibus non raro mixti, legumina; corporis immundities nec non motus muscularis defectus. Quoad vero ad morbos praegressos attinet, exanthemata praeprimis, febres intermittentes, dysenteria, haemorrhagiae, tussis suffocativa, abusus remediorum narcoticorum, praeprimis opii, huic morbo originem praebent.

Ast haec omnia, non semper sufficiunt, sed et quod pulmones suam symbolam conferant oportet, minorem oxygenii copiam sanguini adducendo, quo fit, ut idem oxygenio carens, vel minori in copia continens, minorem quoque vasis stimulum addat, et omnibus organismi partibus minorem materiae nutrientis copiam subministret, igiturque partes illae perfectam evolutionem et restaurationem minime attingunt. Hoc praecipue accidit, dum infantes aerem humidum, corruptum spirant, vel in cubiculo degunt, in quo rarissime renovatur aer.

Circa naturam et causam proximam rhachitidis plurimae existunt hypotheses; alii admittunt acrimoniam rhachiticam propriam, alii eamdem pro anomalia syphilidis declarant; alii autem dicunt vasorum lymphaticorum vitam nimis incitatam rhachitidis esse causam: ast huic opinioni magnopere repugnat therapia, quam medici experientia

duce felici cum successu adhibuerunt, videlicet respirationis processum et vasorum lymphaticorum sollicitantem partesque laxas atque atonicas roborantem.

Si bene itaque symptomata perlustramus objectiva et subjectiva, quibus rhachitis exorditur et progreditur, cum illis ex necroscopia receptis, videbimus illius naturam in reproductione non tantum quantitative, sed et qualitative vitiatam, nec non in mala omnium partium ad organismum infantilem spectantium nutritione sitam esse. Mala nutritio inducitur per chylificationem vitiosam et languidam minusque alacrem oxydationem sanguinis, partim per pulmones, partim per cutim externam. In infantibus tenellis nutritio partium solidarum opus est caeteris difficilius, quapropter et nostro in morbo vitium quammaxime in ossibus, partibus solidissimis, emergit. Praeter ossa, cartilagines, ligamenta, musculi quoque hocce morbo laborant, lympha vero et sanguis, jam diximus, mutationibus morbosis afficiuntur, uno verbo partes constituentes omnes alio modo inveniuntur in rhachiticis ac in hominibus sanis. Nam systema lymphaticum ex tubo intestinali non tantum minorem copiam chyli, sed et male paratum recipiens systemati sanguifero humorem tum quantitative tum qualitative vitiosum transmittit. Sanguis igitur non tantum minori copia paratur, sed et gravem mutationem quoad qualitatem patitur, fit magis aquosus, et praeter hanc et aliam mutationem adhuc qualitativam sanguis infantum rha-

chiticorum acquirit; si nempe infantes tenelli aerem spirant humidum, vel si cutis ob immunditiem oxygenium ex aere atmosphaerico recipere nequit, vel si per abdomen physconiis laborantem cavitas pectoris per se jam in infantibus rhachiticis angusta magis adhuc diminuitur, respiratio vel per longius, vel per brevius tempus imperfecte efficitur, vel aliquando, attamen raro et penitus cohibetur. Propter hoc minor oxygenii copia sanguini admiscetur, unde humor vitalis ita constituitur, ut minus aptus reddatur nutritioni partium organicarum.

PROGNOSIS.

In statuenda rhachitidis prognosi medicus non tantum momenta occasionalia, sed et aetatem, gradum morbi, conditiones vitae, in quibus aeger versatur, cum morbis rhachitidi subsequis coram habeat oportet. Rhachitis in genere per se rarissime lethalis, quinimo non raro adeo levis est, ut solis naturae viribus succumbat; adsunt tamen casus, ubi accedente labe intestinorum, nutritio universalis labefactatur summa debilitas, febris hectica cum sudoribus colliquativis inducitur, proinde et vita extinguitur. Quoad aetatem attinet, experientia docet, rhachitide gravissime affici infantes, si illos mox post partum corripit; minus periculosam evadere a secundo usque ad annum quartum; crescente vero annorum serie, crescere quoque vitae periculum et in

adultis decursum adsumere rapidissimum cum intra quatuordecim circiter dies lethalis reddatur. Praeter aetatem in prognosi magni momenti est gradus morbi; leviores enim gradus non raro sanantur absque artis auxilio, quin posthuma relinquant mala: graviores autem, si non mortem, saltem deformitatem causant; per integram saepius vitam perdurantes, videlicet incurvationes, deformitates spinae dorsi, thoracis, et hinc paralyses organorum sensuum nec non extremitatum. Aliquando vero hydrocephalus, tumores ossium dolentes; inflammationes et suppurationes illorum, spina ventosa et tandem febris hectica manifestantur. Ceterum morbus rhachiticus periculosus evadit, si una cum ipso alii morbi decurrant: isti enim vehementius organismum tunc afficiunt. Si morbus noster ultra quintum vitae annum perdurat, difficillime curatur, corpus plerumque languidum ac deforme juventuti tradit, et nisi accedentibus annis, quando totum corpus maximam patitur mutationem, penitus tollatur, nullam sanationis spem admittit. Quae vero rhachitis aut variolas, aut scabiem aliasque cutis efflorescentias subsequas habet, nec cum tanta ossium spinae dorsi incurvatione, et motus impotentia conjungitur, faciliorem recipit medelam.

THERAPIA.

Qui rhachitidis curam molitur medicus prudens omnium primo causas, quae ad illius gene-

sim contribuerunt, removere studeat oportet, antequam rhachitidis curam propriam adgrediatur. Causis remotis, non raro morbus ipse sola vi medicatrice naturae sanatur; quod revera adsequi non potest, ipsis praesentibus, et frustra tentabitur; effectus enim causarum omnium remediorum virtutem, praevertunt et inanem reddunt. Indicatione causali confecta, et per digestionis organa respiciat necesse est; omnia sedulo removeat, quae praeter normam in tubo intestinali continentur, secretionem organorum digerentium corrigat atque expediat, totamque eorum functionem, quantum concessum, ad statum normalem reducat. Cutis quoque in morbo rhachitico summi momenti; cum non raro, si inertia aut torpore laborat, ad rhachitidis genesim quamplurimum contribuat; hinc et medicus in hoc organon suam attentionem dirigat; hujusque organi pro infante tenello tam summi momenti functionem expedire adnitatur. Quod regimen diaeteticum attinet, cavebit ne porrigantur ejusmodi aegris nutrimenta ex farina confecta, digestu difficilia, et potius cibus ex animalium regno petitus illis administrabitur; potus optimus aqua, lac, juscula carnium, cerevisia bene parata, nec non aqua pauxillo vini commixta. Aer sit purus, siccus, nec frigidus; convenit rusticatio: exponantur infantes insolationi, et thermentur in arena calefacta; servetur praeterea mundities corporis. Ad evitandas incurvationes, matri vel ancillae commendandum, ne infantulum uno eodemque brachio semper cir-

cumferant; sed potius modo dextero, modo sinistro; aetate provectiores vehantur in curru. Organa digestionis respiciens medicus modo invenit in rhachiticis majorem substantiarum a vita alienarum quantitatem, modo majorem copiam acidi in tubo intestinali effectus perniciosos producentem. Medicus digestionis officinam ab his substantiis omnino vitae infensis liberare tentans modo purgantia ordinabit, modo remotionem absorbentibus promovebit. Inter purgantia optime conveniunt, rheum, jalappa, aloe, folia sennae, quorum primum, si intestinorum torpor adest optime in connubio cum liquore terrae foliatae tart, tinct. cort. aurant. et aliis praescribitur. Inter absorbentia collaudantur a medicis practicis, magnesia, carbonia, liquor kali carbonici, aqua calcariae carboniae. Notandum tamen venit, omnia haec remedia non diu adhibenda, neque sola, sed cum amaris, quorum connubium optime ferunt, conjuncta praescribenda esse: quam primum vero non amplius sordes in intestinis animadvertentur, ab iis recedendum est: usus enim illorum diu continuatus organa digestionis debilitat atque labefactat. Remotis causis et digestionis organis a sordibus liberatis, ad ulteriorem rhachitidis curam progreditur et remedia in auxilium vocantur, quae vitam vasorum lymphaticorum inertem sollicitant, et eorum functionem impellunt. Hinc remedia antimonialia, hydrargyracea quammaxime adplicationis locum habent. Nonnulli consulunt copulare illa cum narcoticis. Dulcamara,

praeparatis digitalis purpureae, conio maculato, belladonna, aconito. Laudantur quoque solventia tum mitiora, tum efficaciora cum tonicis et aromaticis copulata. Notandum tamen est ex his primum mitiora, dein sensim ad efficaciora transgrediendum esse. Remanens digestionis languor, chylopöesis morbosa, assimilatio languens, debilitas muscularis optime adparatu roborantium et amaricantium medebitur. Hinc ante omnia praeparata rhei, vel tauri, rad. gentianae, colombo, corti. quassiae nupta aromaticis, uti calamo aromatico, cortici cinnamomi, nuci moscatae, baccis lauri, cort. aurantiorum et similibus, egregie agunt. Atoniae systematis irritabilis et habitui morboso optime sequentibus consulitur; glandibus tostis quercus roboris, infuso vel decocto rad. chariophyllatae, cinconaceis et tandem martialibus, ex. gr., tinctura martis pomata, vino martiato, limatura ferri et ejus sulphate. Recenseri hic quoque merentur remedia, qua specifica laudata: nemper radix rubiae tinctorum: radix lapathi aculi et acidum phosphoricum dilutum, quorum tamen usum parvum profecisse visum est. Praeter remedia quae interne adhibentur quoque externa in morbo rhachitico effectum optatum non raro exerunt. Spectant huc: balnea substantiis aromaticis, aqua marina, vel etiam ferro parata. Balnea autem nonnisi favente tempestate, coelo sereno, adhibenda; secus potius frictiones atque fomentationes cum substantiis aromaticis ac narcoticis, lotiones cum infusis plantarum, oleo aethe-

reo potentium, videlicet florum chamomillae vulg., herbae melissae, menthae piperitidis, rutae, rad. calami aromatici, nec non cum spiritibus juniperi, lavandulae, vini camphorati. Laudantur quoque frictiones cum linimento volatili, linimento saponato, camphorato, petrolaeo et aliis. Quod si inflammatio ossium exoritur, therapia antiphlogistica in usum trahatur: adplicentur igitur parti adfectae hirudines, vesicantia, nec non alia revellentia, uti fonticuli, et cauterium tentare etiam licet; nam si inflammatio ulterius prorepit difficillime sanatur. Si autem ossa spinae dorsi vel et aliarum partium carie correpta fuerint, febri hectica consumitur aeger, vel saltem insanabiles exoriuntur vertebrarum anchyloses.

Quod curam prophylacticam attinet, quae morbi evolutionem in individuis ex haereditate in hunc morbum dispositis retinere studet, ea solum ad subtractionem omnium momentorum causalium, quae rhachitidis evolutioni quam maxime favent, tendit nec non remedia illa quae efficientiae vitali novum vigorem adjungunt in usum trahit.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Helminthiasis conditio pathologica non in vermibus, verum in organis.

II.

Indolentes et occultae pleuritides atque bronchitides phthisim praeparant.

III.

Est species amauroseos, cui chinae cortex specifice opitulatur.

IV.

Indoles febris puerperalis in principio et decursu regulari semper inflammatoria.

V.

Non omnibus in locis eadem medicina convenit.